


enim Anno 1622. Mens. Febr. die 15. Friburgi visos, ex Ruthar-
do B. Sperlingius Instit. Phys. L. 5. c. 10. refert. Quing. Anno
1629. Romæ observatos esse, Scheinerus meminit. Sex Regem
Poloniæ Soles vidisse, supra §. 13. diximus. Septem eorum
apparentium Anno 1661. die 20. Febr., Sole circa Meri-
diem constitutò, Hevelius Tract. Mercur. in Sole vis. p. 172.
mentionem facit. Denique novem Annò eòd. Dantisci
apparuisse, Schottus Phys. Curios. Iconism. 57. ostendit. Et
quamvis plures vix apparuisse legantur Soles, non obstat
tamen, quò minùs vel undecim conspici posse largiamur.
Pro numero enim nubium specularium hæc idola nascun-
tur, unde & certum Pareliorum nomen non defini-
mus: potiùs miramur mirabilia hæc naturæ specula, quòd
aptissimas sibi adeò, sive pluret sint, sive pauciores, pro sub-
jectis nubes speculares nascantur: ac veneramus
Deum horum omnium Autorem ac Dire-
ctorem sanctissimum & sapientis-
simum, cui sit

Laus, Honor, & Gloria sempiterna.



Pare-